Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 813
Quelle:
Copyright:

nio vincendi ſeipſum, quod homo dominetur ſibi ipſi. (4) *Item de cogitacionibus, quando ſunt peccata et quando non.* &c. Sequuntur Reſponſa et ad calcem rubro: *Puncta quedam Magiſtri Hainrici de Oyta.*

V. *fol.* 14. p. 2. Sermones II. Prior *magiſtralis de Sancto Bernhardo clareuallis abbate* in illud: *Omnis qui ſe exaltat* &c. Luc. 18. Alter *de karitate cuiusdam doctoris*, in illud: *Mandatum nouum do uobis* &c. Joh. 13.

VI. *fol.* 18. Locus de *laude Virginitatis*, qui incipit: *Damaſcenus lib. 4to. C. XVI. Noe accepit preceptum: Intra tu et filij tui* &c. Liber hic *Johannis Damaſc. de Fide Orthodoxa* eſt; verba tamen adducta non leguntur C. 16. ſed 24. Ad calcem hujus fragmenti rubro: *Scriptum Anno. M°. C° C° C°. LXXXXI in die Ruffi martiris.*

VII. *fol.* 19. praecedente *Capitum* Indice habetur *Aur. Auguſtini Enchiridion*, ſive *Liber de Fide, Spe et Caritate.* Incipit absque titulo ab illo loco L. II. *Retractat.* c. 63. *Scripſi etiam librum* &c. Integrum eſt Opuſculum, ut edit. *Maurianae Opp. Auguſtini* T. VI. *col.* 195. et ſequenti formula clauditur: *Explicit encheridion auguſtini finitum ſub anno domini M° CCC° nonageſſimo primo In die Sancti cholomanni Martiris* &c.

VIII. *fol.* 29. *Incipiunt meditationes auguſtini.* Initium: *Vigili cura mente ſollicita ſummo conatu ſollicitudine continua decet nos inquirere* &c. Libellus hic alias *de diligendo Deo* inſcriptus et *Auguſtino* perperam tributus legitur in *Append.* T. VI. *Opp.* ejus *col.* 75. et juxta *Maurianorum* praeviam *Admonitionem* fortaſſe *Petri Comeſtoris* eſſe poſſit. Nobis definit in haec verba: *differentibus meritis ab invicem diſtabunt.* Mauriani ex quodam *Codice Regio* lineas 11. adjecere.

IX. *fol.* 34. p. 2. *Incipit Auguſtinus de fide ad petrum.* Hoc modo: *Epiſtolam fili petre* (nihil hic de Diacono) *tue caritatis accepi* &c. *Fulgentii Ruſpenſis* Opuſculum eſt, a *Maurianis* id monentibus nihilo minus in *ſupracit. Append. col.* 19. cooptatum, et inter *Fulgentii* Opera edit. *Venet.* 1742. p. 226. f. comparens. *Caput* XLV. ſeu novam illam Fidei Profeſſionem priori ſubjectam, quam Editores *Fulgentio* abjudicant, Codex noſter ignorat, qui, ut par eſt, ita finit: *Et ſi quis aliter ſapit, hoc quoque Deus reuelabit.*

X. *fol.* 44. *Incipit auguſtinus de ſanitate anime.* Initium eſt: *Noſtis fratres kariſſimi omnes homines querere ſanitatem corporis* &c. Nullum novi *Auguſtini* hoc titulo Opuſculum, ſed *tres* hic breves ad Populum *Sermones* habentur. Primi initium dedi, qui definit in illud Pſ. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine* &c. Alter incipit: *Bene noſtis fratres kariſſimi, me vobis frequenter ſupplicaſſe* &c. et finit: *ut illi indulgentiam dare dignetur et ad eternam beatitudinem ob gratiam nominis*